







*Pr. 24. num. 2*

*1773, 24*

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE

IVSTO ET INIVSTO CIRCA  
HOMINES NON MORALES

QVAM  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA  
PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISEVBERGENS.

SOCIO

DIE IV DECEMBR. ANNO MDCCCLXXIII

DEFENDET

AVCTOR

GOTTLOB HEINRICH KVHN

GROSMILKAV.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



*1008*





1777

QUESTIO  
IVRIS CONTROVERSI  
DE  
PRIMO ET IN PRINCIPIO CIRCA  
HOMINES NON MORALES

AVCTOR  
D. CHRISTIANO LEON. BRUNNIO

AVCTOR  
D. OTTAVIO HENNICH KAHN

LEIPZIG  
IN OFFICINA JOHANNIS NEUBERGERII

1777







S. I.  
*Principia quaedam generaliora.*

Cum in exhibendo Specimine de iusto et iniusto circa homines non morales quaedam exposituri simus; ut in extruendis nouis aedificiis prima de fundamento sollicitudo; sic etiam nobis non abs re visum, monita et principia quaedam generaliora, ad rem plurimum facientia, e quibus scilicet iura et obligationes inter se hominum multo facilius essent deducendae, praemittere. Deum O. M. omnium quae existunt rerum, animatarum et inanimatarum esse auctorem, in confesso est, perque eas tam nobis patentes, quam etiam extra nostri intellectus terminos positos fines intendere. Si nullos, dum haec omnia, quae existunt, crearet, proposuisset sibi fines, frustra et sine consilio Deum egisse, tam certum est, quam quod certissimum. Verum enim vero, quis quaeso tam impius futurus, qui cum summo scelere statueret, quae cum tanti nummuis virtutibus minime conuenirent! Alterum itaque pro vero est accipiendum, numen diuinum in omnibus intendisse certos fines. Hos vero cum eorum auctor infinitus est, omnes scire et indagare velle, temeritatis magis, quam prudentiae speciem prae se ferret. Nimirum enim superbe de nobis sentiremus, si fines, quos in mundo extruendo, sibi natura proposuit, ingenii nostri vi comprehendi posse, putaremus, sunt verba *CARTESII* Part. 3. sect. 2. Praesertim quia de Deo et rerum natura tantum solum cognoscimus, quantum ad vitam feliciter viuendam cognitionis creator duxerit necessarium. Fortean et multa grauioris alicuius causa omnia ita facta et ordinata sunt, cuius causam nos quidem falso intelligere gloriamur. Et praeterea, quis vnquam mortalium penitus totam naturam scrutatus est? In vniuersum tamen insiciendum non videtur, nos quoque, quamuis intellectus imbecillitas saepe saepius accusari possit, quosdam diuinae voluntatis circa haec omnia, fines cognoscere posse, saltem necessarios. Ex iis potius, quae cotidie fieri videmus, et facta esse intelligimus, creatoris nostri mentem et sapientiam cognoscimus. Huius generis dicuntur origines et durabilitas nostra. Nam non solum Deus existere fecit humanum genus, sed illud etiam conseruat. Perdurat itaque haec in Deo voluntas usque adhuc, quia orbis terrarum iam hominibus repletus adspicitur. Voluntas autem illa in Deo permanens de perennitate hominum, efficit legem fundamentalem inter homines de vitae conseruatione, in quam omnes consentiant, necesse est. Quodsi etiam nullum consensum per signa externa, vt in aliis fieri assolet, consequamur, iam praesumendus est, cum inscripta lex illa cordibus hominum. In se namque explicando, comprehendit obligationes necessarias erga Deum immediate et mediate, dum ab vno fit, quod alterius





rius conseruationem non impedit, et erga se ipsum. Eiusmodi sensus, cognoscendi fines et originem obligationum ingenerare hominibus creatori placuit, per quas stabiliet et firmaret singulorum vitam, et alios fortasse futuros et absconditos fines. Exinde sua sponte fluit, Deum auctorem omnium rerum et obligationum, nobis esse superiorem, nosque ab eius voluntate pendentes. Hic status hominum est inuitabilis et necessarius, simulac ponitur Deus et ab eo provenientes creaturae. Dein, cum per numerosam multitudinem aequae fines quosdam creator intendit, iura et obligationes inter homines sunt enatae. Conseruationem tam suam, quam aliorum destruere nefas erit. Vt vero laudari creatoris fines turbari possint, facit hominum libera congenita voluntas, quae bellum omnium contra omnes parere posset, nisi alia daretur prohibitio. Qua de causa, cum diuina uoluntas omnium ac singulorum conseruationem postulat, sine qua finium creatoris effectus cessarent, etiam nemini male agendo aduersus alterum, contrauenire licet, qui modo homo dicitur. Quae uero actiones cum uoluntate diuina et essentia humana, uinculoque societatis conuenientes, h. e. quae iustae, aut iniustae aequae aut iniuquae sunt declarandae, late tractant scripta moralia I. N. sensu latiori. Quilibet hominum ex proposito mentis tendit ad suae felicitatis perfectionem; in prima tenera aetate nutrimenta appetunt, adulti adhuc plura commoda quaerunt, et suae felicitatis statum magis magisque perfectiorem reddere student. Itaque omnes quidem agunt, sed quaelibet aetas alia atque alia appetit, cf. CICERON. *de fin.* 5. 20. In quibusdam etiam plane peruerse operationes mentis sunt, indeque peruerse actiones gignuntur, quod partim ab aetate, partim ab alio superueniente casu, aut quod rectius, a diuina prouidentia pendet. Inde status hominum duplex, vel perfectus vel imperfectus. Posito illo duplici statu, homines sunt vel diuiduntur in sanae et insanae mentis; horum actiones non morales, illorum, morales, dicuntur. Hanc diuisionem, ut modo diximus, efficit aetas, vel alia causa superueniens. Alias diuisiones hominum, ab essentialibus proprietatibus desumptas, ad nostrum uero propositum inutiles, praetermittamus. Actionum respectu ideo homines sunt vel morales, vel non morales. Morales dicimus eos, qui libere agunt, liberitatisque actionum regulas intelligentes, sciunt, quod libere agunt, suae, quibus liberarum suarum actionum arbitrium et iustitia constat; non morales e contrario, qui quidem agunt, sed nulla concurrente libertate et scientia legum suarum actionum. Posteriorem speciem constituunt infantes, h. e. usque ad tempus quo intellectus maturitatem adeptus, furiosi, mente capti, et alio casu tales. Actiones ergo omnium hominum in liberas et non liberas diuiduntur. Actio libera est, quae a libertate mentis dependet; non libera, quae ab ea non pendet. Libertas mentis autem erit intelligentis facultas,



facultas, sese ad agendum et non agendum determinandi. Iustitia et iniustitia actionum ex relatione ipsarum cum diuina voluntate, siue aliter loquendo, I. N. prouenit. Ex humanarum actionum cum iusto concordia, oritur iustitia naturalis: ex discordia, iniustitia naturalis. De interna hominis iustitia in virtutis praeceptis agitur, externarum solum actionum iustitia ad I. N. latiori sensu sumptum pertinet. Tandem moneamus, nos non moralibus etiam infantes accensere, ex suis actionibus, quamuis concedamus, eos a furiosis et mente captis multum differre: aut ita dicere iuuat, propterea quod etiam dantur infans infans aut animi quauis impotentia et inconstantia, sub qua voce graec. *δυσειν* intelligimus, laborantes.

§. II.

*Continuatio causarum ex quibus iura et obligationes I. N. cognoscantur.*

Itaque origo omnis moralitatis est ex finibus creaturae intelligentis, ad quos a Deo condita fuit. Singuli etiam creatoris finem sistunt, ergo et vnus alteri perfecte aequalis, ratione huius natura omnibus est eadem. Tanta multitudo hominum quoque in terris deprehenditur, propter mutuum auxilium sibi inuicem praestandum sine dubio ita ordinatum, quae societatem quandam coniunctam constituunt, in qua socialitatis leges exercendae sunt. Vnde vero in ista societate tantus socialitatis appetitus? ex similitudine naturae et proprietatum ortum trahere patet. Per similitudinem externam et formae speciem nec non per internam, animae puta, homo eiusmodi efficitur animal sociale, ex quo porro, vt facilius amore quam imperio regatur, v. g. quod hic euitat, etiam ille fugit, coniunctam et separatim sese aduersus naturae iniurias defendunt, caet. Ex qua naturae et proprietatum similitudine creator efficit non modo, vt prae ceteris animantibus homo se homini inprimis consociet, verum etiam auxilium et refugium in eo quaerat, cum nullum praeter eum animal tanta facilitate adcurrendi et auxilium praebendi gaudet. Porro, eandem omnibus esse naturam, diximus: hinc sequitur, quae sunt iura naturam qua talem afficientia, omnibus competere hominibus. Natura hominis in quolibet viuo homine, adeoque omnes aequales qui vitam spirant. Vt autem quis aequalitatis iurium capax declaretur, non requiritur mentis liberae agendi voluntas, sicut illa ad socialitatem necessaria est. Aequalitati aptissimum principium: quod aduersus me iniustum est, si alii faciunt, etiam iniustum est, si ego aliis faciam.

§. III.

*Officiorum varia genera.*

Iurium et obligationum nat. existentiam et causas breuiter attactas, relinquamus: illud tantum addamus: quo maior finis, ad quem obtinendum quis obligatus est, eo maior et obligatio ad ea media, sine quibus obtineri





nequit. Nunc de terminis obligationum, quos ipsa natura posuit, ne fines scientiarum moralium confundamus. Obligatos inprimis homines ad metum et reuerentiam Dei O. M. tanquam auctoris sui, et ob dependentiam, omnibus notum est. Dependent enim omnes et singuli in essendo et agendo ab eius voluntate. Circa cultum diuinum et ad illum obligationes, versatur theologia naturalis. Mutuae sequuntur obligationes vnus aduersus alterum, quarum quaedam ita sunt comparatae, vt si alter alteri denegaret, eius vitae conseruatio in dubium vocaretur. Huius praecipui et necessarii generis obligationum transgressio, laesio I. N. strictissimi, et iurium perfectorum, conuatorum, dicitur. Hae necessariae obligationes corpus et animam et bona alia extra se ipsum possessa, concernunt. Si quis in iis laeditur, existit laesio I. N. strictissimi, quae nihil aliud, quam iuris perfecti, conuati alterius, eo nolente, facta ablatio. Cum vero et aliis mutuis officiis societatem hominum melius coalescere fecit creator, quae quidem minus necessaria et nullo iure cogente ab alio postulari possunt, etiam haec amoris officia, siquidem a natura facta, constituunt partem aut genus aliquod obligationum I. N. sensu latiori; quae tamen ab aliis ad aliam disciplinam scil. Ethicam referuntur: adeo, vt Ethica non solum virtutem, facilitatem internam et tranquillitatem animi proponat, sed etiam amoris officia, quae nullo iure perfecto postulari possunt, contineat. Ictorum plerique imperfecta officia ad Ethicam remittunt, non quasi haud eodem modo a natura iusta, sed quia aliis de causis, et imputatione actionum, aequitas a stricto iure bene est discernenda. Haec omnia officia ab ipso Deo imposita, eatenus eodem modo sunt necessaria.

#### §. IV.

##### *Tractatio specialis.*

*Inter homines morales existit bilateralis obligatio.*

Quam primum intellectus hominis siue potius iudicium, iustum ab iniusto discernere valet, ab eo tempore incipit dici ens morale, et omnes eius actiones ex regulis iustitiae solent diiudicari, quibus, si conuenienter agit, iustus, appellatur. Entia igitur moralia, ad analogiam substantiarum, dicuntur, homines morales, quos diligenter secundum leges I. N. explorare licet. Nam leges I. N. si quis moralis violat, pacemque alterius turbar, ei laesionem infert, et ad damni illati reparationem vel mediis cogentibus in infinitum, h. e. donecum satisfecit, est cogendus. Et sic in omnibus entibus moralibus procedit. Etenim obligatus sum non minus ab ipsa natura, vitam meam, etiam vitae meae periculo seruandi; eleganter *ICTUS FLORENTIN. L. 3. p. de Iust. et Iur.* Quid multa! iura et obligationes inter morales certissime reciprocae et bilaterales. Ceterum his amplius immorari non vacat, haec tantum



❖   ❖   ❖

7

eum boni ordinis gratia adiecit, quum morales homines omnium, qui ali-  
quid de I. N. scribere, translationum suarum sunt obiecta.

§. V.

*Inter non morales nullum ius, nulla obligatio.*

Quando quidam suarum actionum ignari, nesciunt quod agant, in  
agendo libera eorum voluntas non concurrit: ab aliis per hocce distincti, no-  
minantur non morales, et oppositi moralibus; Ita quoque sub hominibus non,  
moralibus non intelligimus eos morales, qui contra principia rectae moralitatis  
scienter agunt: bene vero morales antea existentes in eundem statum deduci  
possunt, v. c. in somnio agentes. Si multos tibi huius generis fingas homines,  
societatem quasi constituentes, inter eos omne naturae vinculum cessat. Nam  
hi omnes iurium et obligationum nat. existentiam ignorant. Nam morales  
a natura ita discernuntur, vt quidam natura tales, quidam casu tales reperi-  
antur. Ad primam classem eos referamus, qui quidem perfecti homines nati,  
nondum tamen vsu rationis pollent: ad alteram classem, quorum intellectus ad-  
tiori aetate peruerse agere incipit, hos casu siue potius diuina prouidentia sic  
iubente tales diximus. Accedit, proh dolor! saepe homini aliquid inopinate,  
quod praevideri et euitari omni non potuit studio, quo etiam intellectus viri-  
bus vti impeditur. Cur vero non potius creator talia homines concomitantia  
e mundo abesse iussit? respondemus, creator sapientissimus hanc existentem,  
non vero maiorem perfectionem, quia in eius arbitrio positum, voluit addere.  
Hic status non moralium certissime fertur miserrimus. Fortasse vero, cum ipsi  
Deo sic placuerit, nihil refert ex parte Dei, an quis sit moralis vel non, (ab  
hominum parte longe aliter sentiendum, vbi cessat omnis vitas iucunditas)  
inprimis quod eos attingit, qui eius prouidentia, sine sui ipsius concurrente  
culpa tales facti sunt. Homo vero modo descriptus extra moralitatis statum vel  
naturaliter vel casualiter positus, constat, vt ceteri et perfecti ab omni parte,  
ex anima et corpore, modo vsus rectus animae intercessus abest. Quum vero hi  
omnino leges a natura factas adesse ignorant, et nec legislatorem nec leges eius  
agnoscunt, etiam vitam suam et actiones secundum eas formare, impossibile  
est. Hinc moralibus in eos ob actiones suas nullum eius ad laesionem illatam  
persequendam, aut per bella et vim externam satisfactionem extorquendi: mul-  
to minus inter mere mentis impotentes vlla obligatio aut ius intercedit. Per  
pacta quoque et aliis contrahendi modis nihil valide ab iis celebratur. ad stipu-  
latur *GROTIUS de iur. B. et P. 2. II. §. 5.* his verbis: *primum (ad perfectae  
promissionis vim) requiritur usus rationis: ideo et furiosi, et amentis, et infantis  
nulla est promissio.* Est ergo inter non morales nullum ius; nulla obligatio, et de  
novo nihil a quoquam per pacta acquirere possunt.

§. VI.



Longe alia facies iurium et obligationum, si morales cum non moralibus simul procedunt. Hac consideratione instituta existunt hominis iura naturalia: leges vnumquemque circumdant et defendunt siue sit moralis, siue non. Quibus modo mens inest, quae iusta et iniusta suggerit, illis sine discrimine auscultandum. Et quamdiu genus humanum exister, nulla continger mutatio. Nam leges motus internarum actionum humanae animae tam diu immutabiles permanebunt, quamdiu Dei voluntas de existentia hominum immutabili. Internarum autem animae actionum principium regula erit externarum iustarum actionum, quamdiu vult Deus. Nulla tamen apparet causa, ob quam Deus mutationem vel a sua parte, vel ab hominum introduci sineret. Quid morer! morales ex lege naturali, non moralium iura connata et acquisita violare prohibentur. Sed ne verum tantum postulare videamur, in vim probationis nonnulla proferre expetit. Quodsi omnes homines, existentes et extituri, vltimum terrarum, saltem superficiei, finem sistunt, nulli fines intelligenti licitum esse potest, turbare creatoris fines, et alterius ignorantis connata iura sc. aequalitatem, adque adeo vitam, et acquisita et acquirenda vitae subsidia auferre aut denegare. Ergo neque occidere, neque acquisita non moralibus subtrahere est permissum. Nam iustitia naturalis tendit ad vitae securitatem conseruandam, et ad actus, sine quibus vita communis duci nequit, v. GROT. de Iur. B. et P. 2. 2. 13. et PUFFEND. de offic. hom. et civ. I. 6. 3. hoc autem officio muniuntur, quae per ipsam naturam alicui adsunt, vti est vita, corpus membra, pudicitia, libertas; sed et quaecumque instituto aliquo atque conuentione humana sunt quae sita. Hinc illae disputationes, an recenter nati aut vecortes a moralibus iuste e vita tolli possint? Si vnum idemque sit, an in truncos et stipites, aut in non morales saeuirent, eos impune occidere liceret. Sed longe aliter res se habet, quamuis quibusdam ita videatur. Primo, dictameo rectae rationis pro nostra militat sententia, quia sensus veri et falsi, iusti et iniusti hominibus ingenerati sunt. Qui contra faciunt, etsi ob aequalitatem et externarum actionum in statu naturali libertatem nulli minatur iudicium, illis certo Deus, rationis et legum naturalium auctor, vindex erit. Etenim in ipsum legislatorem per tales iniustas actiones illuditur, quum non morales sese defendere non valent. Deus vero absque dubio propterea eos ita fieri aut omnes nasci infantes non curauit, vt sint talibus discriminibus expositi. Vt vero alter alteri aequalis sit, non requiritur, vt iam in lucem editus sit, iam partus in vtero matris aequalis simul ac conceptus fuerit, neque pars ventris, quod et agnoscit Ius Can. c. 114. D. 4. de conseruat. Inde abortus procuratio iustis subiaccere poenitis Veterum prudentissimi hoc crimen homicidium, parricidium, appellauerunt, Presb.



Presb. Eccles. Carthag. TERTULLIANVS in *Apologetico aduersus gentes ita: nobis homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur dissoluere non licet, homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert, natam quis eripiat animam, aut nascentium disturbet. Homo est, et qui est futurus, et fructus hominis iam in semine est.* Amplius: ATHENAGORAS in *Apolog. s. legatione pro christianis ad Aurel. Anton. et L. Aurel. Commod. inquit: quae mulieres medicamentis videntes abortionis, hominem occidere dicimus, adde MINVT. FEL. in dial. Octauius: sunt, affirmat, quae in ipsis fisteribus, medicaminibus epotis, originem futuri hominis extinguant, et parricidium faciant, antequam pariant.* Ex his adductis apparet, christianos iam antiquissimos rom. populi consuetudines reprobasse quippe quibus numerum liberorum definire haud nefas. Romae, inquam, pessima contraria consuetudo ex superstitione et aliis imperii rationibus, confirmata extabat, quae patri libertatem puerum recenter natum tollendi aut exponendi, immo interficiendi concedebat; vestigia impressa videas in *LL. 12. tab. pater ad insignem deformitatem puerum cito necato. et: endo liberis iustis vitae et necis veniundandique potestas ei esto.* Talia vet. iur. rom. in patris posita erant arbitrio. Eodem modo feminis, potione sumpta, partum destruere patebantur romani, ipsum foetum propinata vxori potione, nefarie elidere, nulli erat religio, v. HEINECC. *ad Leg. Iul. et P. P. p. 25.* Cur vero Romulus, ille vrbis conditor, patribus tantum imperium domesticum et potestatem maiorem in liberos, quam vsquam terrarum esse, permisit? HEINECC. *eod. p. 27.* putat, id egisse praecipue propterea, vt ciuibus suis, tanto cum imperio futuris familiae, eo minus molestum videretur, ducere vxores, liberosque quam plurimos procreare. Monstrosos et portentosos foetus extinguebant, quid? quod liberos debiles mergebant, SENECAE adhuc temporibus, *de Ira Lib. 15.* Romuli lege monstrosi partus in Tyberim aut ad eius ripam exponi iubentur, testis est DION. HALIC. *lib. 2. cf. Iac. GOTHOFR. ad Leg. 12. tab.* Talis erat gentilium in liberos maiestas irrationabilis et iniusta. Vterius, quod maritis etiam ius vitae et necis in vxorem competierit, nihil reprehensione dignum aut iniquum habuit, cum merum imperium quibuslibet princeps in sanae mentis et intelligentes homines concedendi ius habet. Ast non morales fere minus quam animalia irrationalia de legum naturalium existentia sciunt, an non inde colligi possit, quod eadem fortuna eos expectare deberet? nullo modo; exinde nihil amplius fluit, nisi, quod non morales ex sua parte ab obedientia legibus debita, liberati sint et exempti; sibi enim non imputandum, quod Deus a paruis initiis voluit oriri homines, et maturitatem iudicii in tempore tandem venire in aliis vero ex diuina prouidentia, quod et in poenam male curatae sanitatis, sic natura ordinante, accidere solet, in talibus natura dominatur, et sufficit infortunium naturale, neque eadem de causa moralibus licet iniuriis subinde afficere,





cum ratio non morales quoque inter homines connumeret et violare veter. Multo magis si, vt in senibus, natura ita iubet, manent in officiis omissionis erga eos aequae morales obligati. Vnde neminem furiosum aut mente captum, aut aetate affecta iacentem, interficere fas est. Aliud obstaculum: non morales laesiones sibi illatas vindicare per bella non posse, ergo illis nulla vera possit inferri laesio. Ad haec vero: quanquam morales, si laeduntur, laesiones illatas per bella possunt reparare, non morales e contrario ad arma inidonei, inde tamen non sequitur, quod non moralibus non possit inferri iniuria. Si in ciuitate subditi sese inuicem laedunt, ad superiorem deuoluntur quaerelae, et iudex existit imperans: eo magis in illa magna republica, in ciuitate Dei, vbi mediate ipse Deus per laesiones non moralibus factas, tanquam superior legislator laeditur, et propter suas virtutes, praecipue sanctitatem, vltor esse debet. Qui iustus est, iustasque dedit leges, et transgressores ob suam potentiam punire valet, is eos puniat, necesse est. Quid multa? si verum esset, quod is solum obstrictus secundum I. N. viuere, qui per bellum a natura permittum, suum ablatum ius perfectum persequi posset; ille vero, qui naturae praecepta ignorat exemptus esset a naturae beneficiis, et morales solummodo inuicem naturali iure obligarentur, in non morales vero omnia licita essent; sequeretur, naturae leges, nil nisi prudentiae regulas continere, adeo, vbi nulla reuersio timenda, ibi omnia licita, vbi vero bella minarentur, ibi tantum a laesione abstinendum, in discrimen et ipsi vocarentur, v. c. aegrotantem omnibus spoliare bonis et tandem occidere iustum esset: me enim feliciorum per eius interitum facere possum. Et vere bellum principii loco I. N. poneretur. Minus congruum sane, ius bellum exercendi ex laesione I. N. qua tale afficere. Praeterea, obedire diuinis legibus non est prudentiae, sed necessitatis. Nam status hominis naturalis non dependet ab hominibus, sed est ex dispositione summi numinis, et comitatur vnumquemque statim ab eo momento, quo homo esse incipit. Iure rom. vet. patri in liberos plenarium dominium, ius Quiritarium comperit, vi cuius re sua dominio suo subiecta vti abutique poterat, id quod maxime contra naturalem libertatem natorum impingere vidimus. Nam ferri non potest, hominem esse obiectum dominii. Quousque vero patria potestas I. N. in infantes se extendat, v. PUFFEND. *de offic. h. et c. 2. 3. 4. genitor*, inquit, *est caput suae familiae, et quatenus ad finem educationis liberorum spectat, eius potestas tanta eidem in liberos concessa, quanta ad hunc finem sufficit. Quae hautquaquam eo usque se extendit, vt parentes prolem intra materna viscera latentem elidere, aut editam abicere necareque possint. Ceterum onus educationis parentibus concreditum alio morali nititur fundamento, v. TREVER. ad Puffend. *de offic. h. et c. 2. 3. 2. n. 1.* Postquam infantes adolevere, ad finem societatis paternae, qua mensura iuris est, aequae non requiri tam vagam I. R. potestatem, siue spectentur patres*



tres, vt patres, siue vt suarum familiarum capita, omnes censent. Paterfam. imorigeros recte e domo sua eiicit, sed adultos, non vt hostes, sed vt liberi considerati, vltimo supplicio afficere non valet. Ius vetus rom. in liberos patrentis legitur l. II. π. *de liber. et postum. hered.* l. 10. *C. de patr. pot.* Dion. Hal. lib. 2. GROT. et ad eum *Osiander. p. 731.* ad eund. *Boetler. p. 156.* caet. Tandem ad iura pacis et belli quaedam notatu digna sese emergunt. In hostem omnia licere, res omnibus nota, Sed qu. vtrum infantibus, furiosis, amentibus in bello parcendum? belli iure in armatos repugnantesque caedes, insontibus non nocendum, arbitrantur. Nam pars laudatorum non sunt ciues reipublicae, sed in statu nat. positi, et laesionis inferendae omnes incapaces, vt alter hostis belli iure vti cogatur, adeoque bellum in illos simul directum, erit iniustum. Verum ratione bonorum in re publica hostili acquiritorum, aliter sentiendum viderur. Bona eorum, quibus respubl. ad necessitatem vti potest, debellanda et destruenda belli iure veniunt. *v. omnino Conf. Praef. BREVNING. delin. Iur. Nat. et Gent. part. spec. sect. II, IX. 9.* Tam, an et feminis parcendum; quia non satis firmum iudicium habere credantur? stricto iure non viderur. Sed his ipsis Deus in bellis hebraeorum voluit parcere, *Deut. 20. 14.* Imo cum Ninivitis internecionem se vere admodum minatus esset, retrahi se passus est multorum millium eius aetatis, quae honesti et inhonesti discrimina ignorat, *Jon. 4. 2.* GROT. *de iur. p. et b. 2. II. 9.* et: *3. 4. 9.* Quando vero adultae ius ciuitatis naetae et membra reipublicae factae, nihil profus, nisi sola humanitas illis parcendum suadet. Aegrotantes et debiles, suo tamen consilio reipublicae prodesse valentes, iuri belli subiaccere certum est, quamuis et hic aequitas atrociam dissuadeat. Postremo, omnibus mentis compositibus tribuitur agendi libertas, et per actus externos suam felicitatem comparandi: non moralibus autem suarum actionum instituendarum nullum iudicium, actiones exinde in detrimentum moralium vergentes ex aequitate morales declinare et fugere obligantur; in causa est, nullus datur regressus. Mendaciorum subinde etiam culpam morales non incurrunt, si falsam quod habeat significationem amenti dixere, rationem addit GROT. *de iur. p. et b. 3. I. 12.*

### §. VII.

*Au dentur qualitates I. N. variantes)*

In vniuersum homines certis qualitatibus, tam essentialibus quam accidentalibus considerare solemus. Homo ex animo et corpore constat, et vtrique parti suae qualitates. Animae eminent qualitas, intellectus, cuius vires multiplices. In corpore quaedam ad hominis substantiam qualitates necessariae, et ad eam non necessariae inueniuntur. Quum vero moralitas hominis semper ortum ex qualitatibus animae trahat, videndum est, an qualitates animae in effectu ad excessum vsque tales apparentes, an ad defectum prope, exceptionem





a regulis I. N. prodant? plerique omnes nullam ea de re admittunt inaequalitatem. Causae a nexu corporis cum anima dependent, et humanitatem non adficiunt. Minor usus et actiuitas qualitatis non tollit eius existentiam, et si realitatis summa, qualitatum essentialium, in homine adest, dicitur perfectus, et hominis iure fruitur. Profligandus ergo error quorundam, ut, quia haec variatio a peccato originis originem ducat, eiusmodi affectus homo aliis reddatur deterior, a qua sententia V. C. GRIEN. in princ. I. N. proleg. c. 3. §. 4. n. 1. non profusus alienus esse videtur.

§. VIII.

*De effectu huius doctrinae in Imperiis.*

I. P. V. ante omnia duo necessaria correlata obiecta, quae imperans et populus dicuntur, ratione constituendae ciuitatis, sunt expendenda. Ast cum potestas singulorum erga singulos per pacta unitos, translata est ad vnum e ciuitate, obiectum imperii erit singulus sub imperio illo constitutus, et prior idea de duobus antea existentibus partibus euanescit, donec ab imperante nihil contra pacta fundamentalia committatur tale, quo desinat esse imperium translatum. Quod ex pactis faciendum ambobus obiectis venit, dicitur officium suum, et huius partis officium, illius ius, ab hac parte postulandum. Personam moralem efficit maiestas aequae ac populus. Populus deinde singulorum hominum multitudine consistit, qui singuli obiectum imperii, et post subiectionem dicuntur subditi. Imperio enim sese subdidere. Exceptio est in Imperio R. G. vbi status Imperii sunt in corpore consortes regiminis, *Instr. Pac. Osn. art. 8. §. 2.* Quemadmodum vero in omni humana societate consociari homines intelligi necesse est, ita etiam vnus ille, vel plures e societate, quibus imperium commissum fuit, homines sunt: consequenter iis omnibus, quae hominibus accedere possunt et solent, expositi. Nam in humanis rebus, quae a natura, domina rerum, proficiscuntur, omnes natura aequales esse voluit. Potest igitur facile accidere, ut ille maiestatem exercens, vel nondum perfectum actionum suarum iudicium habeant, vel natura sic iubente aetate profectus, iam perdidit. Ad prius, nihil quod moneamus, reliquum est, quando iam populus s. qui populum repraesentant, in impuberis imperium per vicarios exercendum consentiit. Posteriori vero obueniente casu, quia saepe accidit, de quo ne cogitatio quidem cuidam inesse potuit, qui tunc, si imperans non amplius moribus accenseri potest, an interea dum conualescat, eius iura exercendi imperii maneant salua? firmissimis principiis affirmatur. Maiestas in se considerata, seu complexus iurium maiestaticorum, nunquam imminuitur, sunt et permanent eadem, quamdiu vtrisque partibus ea mutare non placet. Defectu vero moralitatis imperantis existente, et per consequens regnare non valente, ei iura semel adquisita manent salua, nisi aliter ab initio conuenit, ibi ad iura renuncia



ta non datur regressus. At eius nomine vel a summis imperii collegiis, ab imperante sapientissimis viris ad gubernacula reipubl. ordinatis consistentibus, vel per ad idem negotium constitutos, vocandi vicarii, interea summa rerum geritur. Et si populus, qui talia in rege suo viderat accidere, ad nouam electionem alius imperaturi sese accingeret, et alium in eius locum substitueret: minime prioris iura regiminis sine suo consensu tolluntur. Nam quod homini semel datum est, suum maneat, quamdiu iure optimo homo nominari potest. Verum, vbi in pactis fundamentalibus vel obseruantia gentis hoc, vel illud requisitum, v. c. vt in bello semper dux, iudicia ipse habeat, placuerit, ad conditionem adimplendi inhabilis, donec inhabilis permanet, ab imperio liber est. Redeunt autem ad pristinum statum recuperanda sunt ea, quae illi ab initio fuerant delata; nec eius iura interitum patiuntur.

§. IX.

*De obligatione summi imperantis ad non moralium tutelam.*

De ipso imperante §. antec. vidimus. In imperiis praeter eum habentur et subditi. Suo ordine propterea ad subditos deueniendum videtur. Per confederationem coniuncti ad finem LL. N. non contrarium consequendum, pactaque conuenta iunctim tuenda, et iura ex his celebratis inititue pactis vnus erga alterum stabienda, quum vni vel pluribus societatis membris, vel etiam extraneo cuidam administranda permiserunt, isque allato vltro suscepit, sunt et vocantur subditi. Societatis proprium est, vt aut perpetua aut temporaria ineatur. Sin nihil conuentum, ex fine, qui modo cessare, modo perennare solet, diiudicanda est. Vbi externa quies pro obiecto habeatur, perpetua praesumitur. Nam omnes terrae munere vescentes, natura quasi cogente, ad felicitatis appetitum feruntur. Finis praeceptis diuinis naturalibus haud contrarius, appellatur iustus, et societas iisdem institutis fundata, iusta. Omne fundamentum societatis iustae et iusti finis positum est in quaerenda pace. Inde reipublicae hypotheticae, non absolute necessariae a DD. laudantur. Societas illa ex pluribus coniunctis ad vnum finem constat, de quibus alii adueniunt. Recedentes, ni morte fiat, permisso totius societatis legitime discedunt. Alii alio modo, per defectum moralitatis insecutum, communi bono subtrahuntur. Societates illae magnae plerumque ex pluribus familiis constatae sunt. Familiae sua aduersa bona proprio iure possident, et in ea omni membro familiae ius est. Quid? si maiores familiae, relictis infantibus aut mentis non compositis, omnes moriuntur, vtrum bona maiorum familiae demortuorum his sint salua; an vero, quia ea non morales occupare aut apprehendere non valeant, pertineant ad primum occupantem, aut totam societatem, aut imperantem? sunt familiae bona, et quamdiu floret germen familiae, eiusdem manent; et quod meum est, nemini eripiendi ius. Praeterea longe alio nititur illud prin-





cipis officium, fundamento, vt videat ne bona illorum detrimentum capiant: ex politica potius, quia interest Reipubl. bonos et beatos habere ciues, bona eorum augere, et alios iubere, hoc imperantis officium est. Praecipue in Reipubl. ius ciuitatis consequuti, postea morbo correpti, aut senio confecti aliisque malis mentis viribus destituti, ab imperante sunt defendendi. Quamuis hi a sua parte officio suo, tanquam ciues, fungi non amplius possint, tamen Respubl. aut eius nomine imperans horum iura ciuitatis contracta tueatur, necesse est. Nam bilateralis obligatio non nisi, bilateralis assensu contrahitur et dissoluitur. Quicumque autem bona in Reipubl. vel etiam per tuos possident, ciues sunt eatenus, et ea de re imperanti semper curae cordique esse debent. Aliis vero non moralium, nondum factis ciuibus, vitae securitas nunquam est deaganda.

## §. X.

*Transactio specialissima.**De matrimoniis furiosorum et diuortii.*

Absoluto iure vniuersali, ad particulare patet aditus. Omnibus et singulis matrimonii capacibus nat. iure libera est matrimonii inuendi facultas, et illius iuris perfecti contra naturalem libertatem denegatio, laesionem inuolueret. Sed cum ad inuendum matrimonium nemo liber homo cogi potest, sequitur, vt consensus l. expressus l. tacitus vtrorumque matrimonium contrahentium accedat. Exinde porro intelligitur, eos tantum matrimonium contrahere posse, qui l. expresse l. tacite consentire queunt, illis exclusis, quibus sensus sui non inest. Iam de furiosorum matrimoniis et diuortii, quid leges positivae in Germania receptae disponant, videamus. Circa dissolutionem matrimoniorum recte contractorum legitima Iur. ciu. rom. et Can. leguntur causae. Apud euangelicos in Germ. in rebus matrimonia concernentibus, ex more primitivae ecclesiae, primum ad ius diuinum, deinde ad libros symbolicos, tum ad leges ecclesiae particularis, postremo hodie ad ius Can. commune recurritur, exque illius hoc ordine ratio decidendi depromitur. I. N. vbi nemini in alterius matrimonium quidquam iuris competit, quemadmodum vtriusque partis consensu contrahantur, sic etiam vtriusque partis dissensu, dissoluantur, indubitati iuris est. Inuito altero, alter coniugum, vel semel obtento sine matrimonii, discedere posse, statuit *Chr. Thomas. Inst. Iurispr. diu. 3. 2.* sed minus recte. Inde patet: alteri, altero furente, aut alio quouis mentis vitio laborante, et ad consentiendum inhabili, vnilateraliter a sponcione semel facta nulla recedendi facultas. In Germania, vt nostram patriam reuertamur, ius dissoluendi matrimonia est per longum vsu et imperantium accedentem confirmationem, ecclesiae ius, vel ab ipsa vel ab eo in quem illud transfuit exercendum. Tempore Apostolorum et antequam religio christiana in thronum Imperii ascenderet,

partes



partes ecclesiae per modum doctrinae et iustae dehortationis a diuortii, ob qualescunque causas faciendis, christianos deterrebant, neque, ut se conformes seculi hominibus h. e. iudaeis et gentilibus gererent, dehortabantur, secuti exemplum ipsius sanctissimi Seruatoris, *Math. 19. 9.* Post Const. M. tempora, cum episcopalis audientia paulatim in iurisdictionem abire inciperet, et seculo 12. etiam in matrimonia plena existeret, ecclesia, aut qui eam repraesentabant, diuortii praescribere modum. At, quamquam multa de iuste dissoluendi matrimonii causis per antiquissimam ecclesiam sancita inuenimus, patres tamen primitiuae ecclesiae nihil de furiosorum matrimonio, an dissolui possent, nec ne, statuerunt, v. c. Canones S. Apost. seculo 3. aut in fine sec. 2. in oriente compositi, et codex canonum eccles. vniuersae sec. 5. partus, cetera, nihil memini disponere. Nam illae causae iur. ciu. rom. tum temporis in Oriente valente, optimae erant decifae; vsque Pontifex Nicol. in Occidente ad interrogationem Caroli Mogunt. Episc. ea respondit, quae iure ciu. rom. nondum tamen in Germania recepto, expressa legebantur, *L. 16. π. §. 2. de rit. nupt. et Lib. 2. sent. Paul.* Extat Nicol. Pontif. rescriptum *c. 25. C. 32. qu. 7.* De matrimoniis furiosorum eorumque dissolutione, quae ius per ecclesiam sancitum antecedunt, pauca afferre iuuabit. Consensum facere nuptias, iuris ciu. rom. et can. est, *L. 30. π. de reg. iur. L. 18. π. de cond. et dem. c. 24. X. de spons.* Itaque a furiosis et qui illis aequiparantur, non contrahitur matrimonium et celebrantur nuptiae, *L. 16. π. §. 2. de rit. nupt.* Et sic consensus ab origine iuris ad matrimonia fuit necessarius. Sed si contractum fuit matrimonium, et postea alter coniugum furere coepit, hoc casu ab initiis rei romanae vsque ad nostra tempora ius variat. Veteri iure rom. dum populo matrimonia inirent, dubio caret, licuisse ea de causa diuortium facere, si excipias, quod vxor, quae in manum conuenerat, marito non poterat repudium dare; et nuptiae per confarreationem contractae, non nisi disarreatione; et coemptioe initalae, remancipatione, dissoluebantur. Paulo post, ex quo rarius in manum conuenire coeperant coniuges, nihil diuortii frequentius. Saepe sterilitatis causa maritos dimisisse vxorem, extant exempla: alii intra quinquennium non parientem, *L. 60. π. de don. int. vir et vxor.* vel ob senectutem aut valerudinem. *L. 61. π. eod.* Vsque ad Imp. Augusti tempora diuortia impune fiebant Augustus autem primus diuortii modum posuit. *Sueton. in vit. Aug. c. 34. diuortii modum imposuit,* quae verba ita interpreti sunt: diuortia coercuisse Augustum, ut tam frequenter non fierent, statuta poena, ut sine causis dimissis vxoribus, dotem meriti redderent, et vxores sine causa diuortentes dotem perderent. Vel iste locus *Suetonii. in Leg. Iul. et P. P. ex restit. Heinecc. c. 13.* demonstrat. Ceterum Augustus praemiis potius propositis a diuortii faciendis

ciues



ciues retinuit, quamuis etiam, fosuta poena, libertatem diuortendi eis relin-  
 queret. De furiosorum diuortii primo mentio fit in refer. Dioclet. et Maxim.  
*L. 4. C. de curat. furios. vel prod. repudiare furiosam uxorem maritum solum*  
*posse.* Sed iam ante Diocletianum Ulpianus ea de re vberior tradit, *quae suo tem-*  
*pore procul dubio obseruarentur L. 22. §. 7. π. solut. matr.* quippe qui distinguit  
 vtrum tolerabilis sit coniugis furor et interualla habeat, an intolerabilis et perpetuus.  
 Furiosum quidem compoti mentis nuntium mittere non posse; compos  
 mentis, si coniugi, cui dilucita interualla, nuntium miserit, retinere quidem  
 non posse matrimonium, sed in poenas iniusti diuortii incidere: etsi furor ita  
 ferox, vt sanitatis nulla spes superfit, si circa ministros terribilis, et forsitan al-  
 tera persona velit vel propter faeuitiam furoris, vel quia liberos non habeat,  
 procreandae sobolis cupidine dirimere: licentiam competere compoti mentis,  
 personae furenti nuntium mittere, vt nullius culpa matrimonium dissolutum esse  
 videatur, neque in damnum alterutra pars incidat. Idem Ulpian. *L. 4. π. de*  
*diu. et repud.* ita: *furiosam repudiari posse, quia ignorantis loco habetur, ipsam, fu-*  
*riosam autem repudiare non posse, neque eius curatorem, patrem tamen posse.* Hae-  
 nus e Leg. Iul. et P. P. studium liberorum procreandorum in foris romanis pro  
 principio regnabat, et haec dissolutio matrimonii est species illorum, quae bona  
 fiunt gratia, quamuis id fiat vnius partis intelligentia. quia alter nullum accipit de-  
 trimentum bonorum suorum. Ab hac sententia Ulpiani aequalis Paulus dissentit,  
*L. 16. π. §. 2. de rit. nupt. furor contrahi matrimonium non sinit — sed recte contra-*  
*ctum non impedit.* cf. ei. *Recept. sent. Lib. 2. tit. 19. §. 4. furore non tollitur matrimo-*  
*nium.* Itaque Paulus sine distinctione ob furorem tolli posse matrimonium, negat.  
 Cuius tandem sententia praeualuit? sine dubio Pauli. Sequenti tempore Iustinian.  
 omnia in meliorem ordinem redigens, in *Nou. 117.* et alibi, de repudiis egit, certas-  
 que causas iusti repudii stabiliiuit, ac praeter eas nuntium mittentem nuptialium  
 contributionum amissioni, aliisque poenis subiecit. Furor igitur iure Iustin. nulla  
 quoque diuortii causa. Quod orientem spectat Imp. Leo Phil. per *Nou. 111. et 112.*  
 ius Iustinianeum mutauit, cf. D. *Niceph. Botan. Nou. s. aur. bulla,* apud *Bo-*  
*nesid. p. 38.* et ad calcem Nouellarum. Ex quo tempore ius Can. in fora Germ.  
 introducendum fuit, ex illo matrimonia furiosorum diiudicantur, et nominatim ex  
*c. 25. et 26. C. 32. qu. 7. et c. 24. X. de sponsi.* in quibus, furiosis contrahendi  
 matrimonium potestas negatur; sed contracto matrimonio, si furor superue-  
 nerit, non separentur, sancitur. Iam necessitate vrgente a coepro itinere de-  
 flectendum est.





ULB Halle  
004 758 501

3



*56*









Pr. 24. num. 2

1773, 24

QVAESTIO  
IVRIS CONTROVERSI

DE

IVSTO ET INIVSTO CIRCA  
HOMINES NON MORALES

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITERAR. DVISVVRGENS.

SOCIO

DIE IV DECEMBR. ANNO MDCCCLXXIII.

DEFENDET

AVCTOR

GOTTLOB HEINRICH KVHN

GROSMILKAV.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



*see B*

